

5
DELICIARUM
EPISTOLICARVM
FESTIVALIUM

Exercitatio Quarta

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasii Hallensis

Respondente,

CHRISTIANO STEINIO,

Havelbergâ - Marchico

In

FESTO JOHANNIS EVAN-
GELISTÆ

cl. DC. XLIII.

HALLIS SAXONUM

*Typis Heredum Melchioris Oel-
schlegelij.*

VIRIS

Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis, Reverendo plurimum, Clarissimis.

*Dn. JOHANNIGEORGIO BOHSIO,
ICTO, Illustriss. Principis Anhalt. & Generos.
Comitis Mansfeld. Consiliario,
Reiq₃ publ. Hallensis Sax. Syndico eminentiss.
Hospiti suo plurimum colendo.*

*Dn. JOACHIMO HASSÆO,
ICTO, Reiq₃ publ. Perlebergens. March.
Consuli meritissimo, Cognato ac Mecenati
suo etatem observando.*

*Dn. JOACHIMO BLUMENTHALIO,
Ephoro & Inspectori Ecclesie. qua colligitur
Jesu Christo apud Havelbergenses dignissimo
& vigilantissimo, Patrono & promotori suo
optimè merito.*

offert & dedic.

Respond.



EPISTOLÆ

in
FESTO JOHANNIS EVAN-
GELISTÆ
ANALYSIS

Siracid. 15. à v. 1. usq; ad 7.

THESIS I.

Icitur Johannes,
ille discipulus, quem
IESUS amavit plu-
rimū & qui super pe-
ctus Domini recubuit,
ut qui immediatè vo-
catus ad Apostolatū,
ut de isto Mar. 1, 20.

Matt. 4. 21. legitur: Quemq; ad spectanda
miracula adhibuit, sicut habetur Matth. 17, 1.

Et qui stetit sub cruce Domini tanquam con-
stitutus tutor matris Mariae virginis Iohan.

19, 27. Propterea vocatur cubicularius

a 2

Ma-

Maria secundum Cyprianum; Quiq; etiam docuit inter Iudaeos Matth 10, 5. Miracula edidit plurima Act 3, 1.

2. Ut nos simus tales, si non omnino, tamen aliquo modo, invitatur Lectio Epistolica, quae desumpta ex Siracid. 15, à v. 1 usq; ad 7. In qua docetur, quæ nam sit ratio & qualitas, & qui sit timor Domini seu reverentia in præstatione v. 1. In quo in genere de timore Domini, tum quoad subjectum, quod sit timens DEUM. Et intelligitur omnis Christianus, qui odio habet malum, superbiam, elationem & viam malam & os perversitatum, uti ibidem in Proverbiis habetur cap. 8. Quiq; ut patrem benevolum Deum veretur, Filium de muliere missum Gal. 4, 4. excipit, & Spiritum sanctum ducem & lucem sectantur.

3. Intelligitur autem non timor servilis, qui ex metu pœne, sed timor filialis, qui ex fide proficiscitur.

4. Quoad prædicatû quod faciat ista nimirum quæ antea dicta sunt de sapientia cœlesti ejusq; inquitendo & retinendo modo; Quiq; uti ex precedente cap. patet, postquam illuxit gratia DEI salutifera omnibus hominibus, nos erudit, justè & pie vivit, expectans
illam

illam beatam spem, & illustrem adventum,
gloria Tit 2, 11, 12.

5. In specie de legis amore, quoad
subjectum & qui continens est iustitia seu
legis: id est, qui amplectitur verbum DEI,
quod veram iustitiam viamq; aeternam nobis
commonstrat; Quiq; die ac nocte in lege Do-
mini meditatur Psal. 1, 2. Prov. 4, 21. Hoc e-
nim est observantem esse legis.

6. Quoad praedicatum comprehen-
dit illam scilicet sapientiam, ut in via bona
ad salutem ambulet, nec ab ea ad avia deflectat
Esa. 30, 21. Ad unicam sapientia nempe divi-
nae & timoris normam remittuntur homines
Exod. 4, 10 Deut. 18, 18. Taliter ergo qui agit,
sapientiam & prestat & prensat.

7. Tum quae sit utilitas seu effectus,
qui partim est privatus; cum in informati-
one per consolationem vers. 2. Insignis enim
& multiplex est fructus timoris Domini, uti
Psalmes docet Ps. 34, 10.

8. Et quidem tum quod sit mater ei
obyians, ut enim illa se a filio poscente non
avertit, sed potius eum consolatur Esa. 66, 13
Eum fovet 1. Thess. 2, 7. Atq; sic intelligitur
de consolationis actu. Tum virginalis conjux
excipiens, per quam intelligitur sponsa, quae

blandissimo animo sponsum excipit, ita & sapientia, ut alibi promittitur Prov. 3, 13. & Ecclesia experta fuit. Act. 9, 31.

9. Et per sustentationem vers. 3. In quo tum de cibatione: cibavit ipsum pane intelligentia i. e, pane vita, dum vivificat, dum mentē illuminat, ut possit bona & mala discernere, & de rebus judicare. Hunc cibū ei instar matris quasi in os ingerit. Hoc enim est *σπιζεν*, quo verbo textus utitur, etiam corporaliter secundum Ps. 34, 10.

10. Tum de potatione ad bibendū: prebebit ipsi aquā sapientia, nempe uti Christus est Panis vita Joh. 6, 48. Ita etiam fons Ioh 4, 14. Ex quo omnia beneficia cœlestia promanāt Iac. 1, 5. Et uti in convivio terreno fames & sitis restringitur, ita etiam in cœlesti Matt 5, 6. Prov, 19, 23. Deinde vires corporis redintegrantur, etiā in cœlesti Esa 40, 29. Matt. 11, 28. Homo exhilaratur, ita & in cœlesti Psal. 84, 20. Rom 14, 17.

II. In confirmatione per corroborationem v. 4. in quo tū de firmatione affirmativè firmabitur super illam nempe sapientiā: Siquidem est fiducia & tutela Prov. 8, 14. turris fortitudinis Prov. 18, 10. Petra Matth. 16, 18.

12. Negativè quod minimè inclinetur
id est non flectatur in rebus prosperis, neq; ad-
versis nec latum unguem: quemadmodum
molles tempore tentationis deficiunt Luc, 8. 13
Quemadmodum mercenarij Ioh. 10, 12. Ex-
empla sunt in Apostolis & Martyribus
Ioh 8, 28.

13. Tum de permansione affirma-
tivè, et incumbet illi quia confidit ipsi Sap 3, 9.
Ioh, 10, 27. Rom. 8, 28. Negativè & mini-
mè pudore afficietur, sive sit iudicium divi-
num, ubi lex, Diabolus, & peccatum accusat;
sive sit iudicium humanum, ubi mundus nos
insimulat. Qui ergo innititur sapientia & à
casu tutus est.

14. Partim publicus effectus, tum
in ad docendum vocatione v. 5. in quo vel
de exaltatione. Nam efferet eum supra pro-
ximos suos, erigit enim è stercore pauperem
sapientia, & timor Domini collocat ad la-
tera Principum Psal. 113. 8. Uti expertus
Moses, Ioseph, Iosua: & è squalore peccati
jacentes erigit, gratiam imputando & peccata
condonando Luc 18. 14.

15. Vel de oris apertione, & in me-
dio Ecclesie seu in congregatione. Hoc enim est
Ecclesia. Quamvis glossa ordinaria Aposto-

a 4,


los,

los, doctores Evangelij intelligat, quos DEUS
sapientia id est Christus Ecclesia prapofuit, ape-
riet os, id est, ut cum fiducia & libertate lo-
quantur, quo intelligatur, quemadmodum
illa phrasis usurpatur Prov. 8, 6. Eph. 6, 19

16. Tum in æterna glorificatione
v. 6. Habetur quidem in vulgata etiam ad-
impletio Spiritus sapientia & intellectus & in-
dicio stola gloria, sed cum non reperiantur in
Græco textu ejusdemq; sint intelligentia &
agant de sustentatione, merito omittuntur.
In versu vero isto sexto habetur partim de
coronæ exaltationis & lætitiæ collatione
ubi nihil aliud intelligitur, quam pax, gaudi-
um, & tranquillitas, scilicet altera, de qua
Apostolus & Hugo lib. 9. quod conscientia
bona sit templum Salomonis, aqua benedicti-
onis, hortus deliciarum, gaudium Angelorum,
arca fœderis, thesaurus Regis, aula DEI,
habitaculum Spiritus Sancti.

17. Partim de nominis æterni dona-
tione, justî enim in seculum vivunt Sap 5. 16.
non movebuntur Psalm. 21, 5. Ergo sapientia
divina ubi est, ibi & erunt & sunt singula.

Hinc



HINC NOTA.

1.

Qui timet Dominum] cō-
sidera *timentem DEUM facere*
bona, ut dilcas indicium timoris
Domini esse bona operari.

2.

Et firmabitur] considera
sapienciam *sumere, ut discas*
eum non assecutum eandem nisi
sit quis constans.

3.

Exaltabit illum] considera
sapienciam *exaltare, ut discas sa-*
pientiam esse discendam.

Qua-



Questiones Philologicae ex Evangelio.

I-

Quomodo Johannes recubuerit ad pectus Christi?

Ridiculi sunt pictores ut rerum imperiti, qui pingunt Johannem sedentem in sinu ac pueri solent. Verum testimonium est inscitiae, dum ignorant rationem accubitus apud orientales. Αναπίπτειν enim nō significat sedere quemadmodū apud nos, sed accumbere, ita ut sinistro cubito innitantur capite introrsū ad pectus, pedibus verò extrorsum porrectis. Sic Nonnius Pœta antiquissimus & eruditissimus describit καὶ παλάμης ἀγκῶνας πιλινδίνητον ἐρείσας, ἀκρότατον περικυκλον ὁμοσγίοιο τραπέζης. Et Arias montanus. Siquidem Judæi convivantes more Romano soliti sunt accumbere
uti

uti habet *Ciacconius lib: de modo convi-*
vandi Israëlitæ verò liberos suos aut
quos charos habebant in conviviiis
infra se, hoc est, in sinu suo collocabāt.
Uti videre est Gen. 16, 5. Deut. 16, 6.
Num. 11, 12. Quia ergo Johannes Chri-
sto maxime charus, ideo in ipsius sinu
recubuit. Unde non factum est ex ru-
sticitate uti arbitratus *Theophylactus*
in hunc locum & *Chrysostomus Homil.*
71. in Iosiamem. Videatur *Gerhardus*
in Harmon, c. 172.

II.

Annon rectè scribatur Joannes
absq; h. in medio?

Becmannus in originibus utrāq;
scripturam tolerari arbitratur, Johan-
nes cum h. ex Hebræa Origine, Jo-
annes absq; h. ex Græca & quidem
propiori; sed cum vox ista Græcis non
debeat suos natales, mirum est inde
velle deducere, cū respiciendum ad
primam ejus Originem, ubi non sim-
plex sed duplex est aspiratio. Est enim
à radice Chanan i, e. gratiā fecit. Aq;
re-

rectius Ebræus quàm Hebræus scribitur, cùm dicatur ab Eber, id. est, ultra transit.

III.

Quare modò agni dicuntur
modò oves ?

Intelliguntur sub utraq; voce credentes sive fideles, qui in visibili Ecclesiæ coetu versantur interprete Christo Joh. 8, 70. Et quemadmodum agni sunt imbecilliores, ita in fide etiam sunt, qui lacte opus habent puriori, 1. Pet. 2, 2. Non cibo solidiori, sic 1. Cor. 3, 2. Inveniuntur tamen & oves, quæ perfectiores, sic tales ad pascua germinis & aquas requierum Ps. 23, 2. Ad pascua pinguia montiū Israëlis deducendi Ezech. 32, 14. Et in fidei mysteriis tanquam solidiori cibo sunt confortandi Hiob. 5, v. ult. Sunt ergo agni juniores & imbecilliores, oves grandiores & perfectiores, utriq; autem curandi. Et illi potissimum & primariò quia si non agni, nec oves erūt. Inde facile colligitur scholasticā curam

ram esse præferendam & præmittendam apud juventutem.

IV.

An repetita dictio Amen sit formula jurandi?

Amen esse formulam jurisjurandi pleriq; affirmant: sed si accuratius inquirimus nihil aliud est quàm asseveratio. quippe secundùm Ebræos est 1. corroboratio sermōis, uti est index Hieronymi comm. in Esa. 48. c. 25. & habet R. Mardochai in cōcordantiis. 2. Consentit Arabicus dum in ejus locum substituit, id quod verum significat, uti Luc. 1, 3. Et 3. nullibi in veteri testamento jusjurandum denotat, sed confirmationem Deut. 27, 15. Nehem. 8, 6. Ps. 41, 13. Septuaginta per *ἔνεοιτο* exprimunt & Xenoph. Cyril. lib. 6.

Illorum igitur iudicio vox hæc quasi ἐπιφωνηματικῶς allata censebitur, ad firmum & flagrans precantis desiderium votumq; declarandum. Itaq; Hieronymus in serm. lib. 5. cap. 28.

op

optat fieri, inquit, hoc enim significat
Amen. Aquila (ut in editione Roma-
na Septuaginta interpretum annota-
tur) reddit *πεπιστευμένως*, id est, *credibi-*
liter, aut (quod quidem multò magis
opinor: Quippe Hieronymi Suidæq;
testimonio comprobatur eadem
quoq; editione Romana illud ipsum
alibi attestante *πεπισωμένως*, hoc est, fi-
deliter, interprete Hieronymo; ad
verbum *firmatè* vel *firmè*. Ita ut vocula
ista Amen *πισώματος* instar sit, ex fide
profecti, quò congruenter & oppor-
tunè laudetur, ac firmiter in mente
supplicantis obfignetur oratio. Jam
verò cum Salvator de rebus longè
præstantissimis, omniumq; maximè
necessariis apud populum Dei passim
orationem haberet; cuperetq; eorū a-
nimis quàm firmissimè illas res in-
figere, putabimus ne ipsum verbis
inusitato & ignoto sensu adhibitis id
præstitisse? Quid? Anne etiam fieri
potest, ut juramentum existat citra
nullam juramenti formam? in juris
jura-

jurandi religione semper interponitur DEUS & testis, & iudex: At in verbis illis Christi, Amen non est attributum divinum (id est; quo DEUS ipse, ceu increata veritas significetur) sed affirmatio veritatis illius, quæ in oratione spectatur. Unde ubi apud unum Evangelistam occurrit ἀμήν, idem ipsum ab altero redditur ἀληθῶς, id est, verè, uti videre est Matt. 16, 28, Luc. 9, 27. Idem Mar. 12, 43 & Luc. 21, 3. atq; alibi. Videtur autem Lucas de industria usurpasse ἀληθῶς, ut ἑλληνικώτερον καὶ σαφέστερον loqueretur, & vim voculæ Amen interpretaretur. Interdum & Amen & næ conjuncta sunt Matt. 23, 36. Luc. 11, 31. Apoc. 22, 20. 2, Cor. 1, 20. Et quamvis Hieronymus comment. In Ezech. 16, affirmet esse iuramentum, intelligendum quoad sensum non quoad modum: nec, licet ἡμήν idem Heb. 6, 14. significet, ab Amen esse potest. Videatur Fullerus lib. 1. c. 2. miscell. sacrorum, Gerh. in c. 5. Epist. Petri p. 872.

CEs lapis in rutilo preciosus fulgurat auro,
Sic Sophie radius splendet ubiq; suis.

Nam bona cuncta facit, Dominum quicumq;
veretur

Usq; Deum sterilis non timor iste Sophi.

Et qui iustitiam sequitur, qui praestat eandem.

Omne decus Themidos prendit & ille manus.

Obviat ut mater tali cupientibus ulnis,

Iniicit & collo brachia sponsa velut.

Pane cibae vita prudens sapientia talem,

Et Sophicis Sophies copia potat aquis.

Hunc solidat firmatq; modis nec flectitur ullis

Talis, huic fedit, nec notat ora rubor.

Vac hunc exaltat quò publica pulpita scandat

Ceu sapiens, eius cingit honore caput.

Gaudia pertentant tandem pia pectora talis,

Nomen & aeternum Theiosophia facit.

Publicat hoc sapiens pietas sapientis Iesu,

Et repetit thesibus STEINIUS iste suis.

STEINIUS hanc pergat, lapis hic fundamenta
praestet!

Et lapis haut vilis, sed preciosus erit.

GUEINZIUS.

F I N I S.



Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder
gestellt.

ULB Halle

006 386 679




3

Th. 4968

Gabriele Grauer

Halle, den 8.10.1970





Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

5

CIARUM
LICARVM
VALIUM

atio Quarta
ESIDE

O GUEINZIO

ymnafii Hallensis

pondente

INO STEINIO,

rgâ - Marchico

In

IANNIS EVAN-

ELISTÆ

DC. XLIII.

S SAXONUM

um Melchioris Oel-

schlegelij.